

ALEXANDRO VII.
PONTIFICI
MAXIMO,

ATHANASIUS KIRCHERUS
SOC. JESU

FELICITATEM.

BEATISSIME PATER,

DUm Tu in publica Mundi luce,
Romanæ Urbis Majestati &
Sanctitati auguste studes: dum
beneficentissimæ DEI Matris,
Sancti TUI THOMÆ DE VILLA-
NOVA Antistitis Templâ domi & foris ma-
gnificentissima ædilitate, quæ exornas, quæ
condis à fundamentis; dum nova & felici
æternitatis albo inscripta piorum nomina,
ea quæ unus in terris polles, prima su-
premaque post DEUM autoritate rite aris
admoves, tabulisque sacris inscribis; bene
de Romana, optime de Cœlesti Urbe me-
reri pergis, ea quam in TE læti suspicimus,
excelsitate ac soliditate sapientiæ, ac Ec-
clesiasticæ disciplinæ legibus exemplisque
firmatæ: nec annum ullum finis effluere,

*

3

quin

D E D I C A T I O.

quineum heroico quopiam opere memo-
 riæ commendes, velut elogio actiuo.
 Ego verò interea in inferiores partes Ter-
 ræ iter adorno: illic etiam Apostolici Tui
 regni partem aliquam reperturus in loco,
 ubi felices animæ velut in exilio claves
 T U A S expectant, quibus Ecclesiæ the-
 fauros eis aperias, & tanquam viaticum ad
 patriam citiùs adeundam suppedites. Ut
 autem in subterranea disclusi à nobis & re-
 conditoris Mundi adyta, mihi pedem in-
 trepide liceat introferre; ad introductiones,
 quas meditor, propitio T U O fidere
 mihi est opus: ad cuius lucem possim tene-
 bras illas describere luculenter, ne tene-
 bræ conculcent me in labyrintho inferio-
 ris Mundi errantem & laborantem, id est,
 majus dolium versantem, quam aliquando
 ingressus fuerit, versaritque Diogenes.
 Enimvero cum olim in arcanum templi
 penetrare, seu adytum, nemini aditus,
 nisi Sacerdoti patuerit, T E summum Sa-
 cerdotem pro duce habeo, cuius auspi-
 ciis ingrediar templum illud, quod sub
 hoc templo, quod nos incolimus, veluti
 tenebricosam admirabilitatis suæ, ac ne-
 gotiorum absconditorum Basilicam con-
 didit, atque in illa posuit augustas te-
 nebras

DEDICATIO.

nebras latibulum suum DEUS. Ad hunc mihi penetrare paranti, adesto beatissima TUA luce, ut meas has tenebras collochem in bono lumine vultus TUI. Rimabor ego terræ viscera, & ostia tenebrofa videbo, ut ex illis introspectis thesauros lucis erudiam. Templum sub templis & in Germania vidisti olim, & in Vaticano TUO nunc vides: Ita veluti sub Mundo mundus (ut DEI templum) latet, habetque non pauca mysteria, veluti minerales, ut vocant, auri latentis venas. Inde mihi eruendum est exile tributum ingenii, quod Ingenio illi TUO ac Sapientiæ tam varie opulentæ pendam uti tesseram obligationis, quâ me quoque adstringis, dum minimam Societatem JESU amas ut Pater. Erit verò id solatium redemptionis meæ, cum è terræ profundis redux inveniam Vaticanum PETRI forum, TUO amphitheatro succinctum; ejusdem Cathedralam in templi capite conspicuam; & alia hisce plura. Dignare itaque BEATISSIME PATER, oculo fideris TUI, obscurum hoc munus; aperi manum TUAM ut Librum accipias, ac libri Authorem impleas benedictione: & qui decretam TIBI à S. P. Q. R. statuam non admisisti, hoc etiam ipso

DEDICATIO.

ipso æternis immortalis Capitoli honori-
bus longe dignissimus, admitte primas has
Mundi Subterranei sive tenebras, sive
umbras; ut in illis Beatissima tum Sa-
pientiæ, tum utilis ad omnia Pietatis
TUÆ imago magis resplendeat, tenebras-
que meas faciat eruditâ luce splende-
scere.



PRÆ-